Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 507

Quelle:
Copyright:

tibus uiam fecit. Quomque multa de prima deorum inuentione diſſeruiſſet, ſic adiecit: Denique ipſi reges, quom cari fuiſſent ijs, quorum uitam compoſuerant &c. quae ſunt verba *Lactantii* L. I. c. 15. Quis vero *Laureatus* ille? Quod Scriptum ejus *de Officio Religioſorum?* Ne te teneam, Lector! *Franc. Petrarcha* eſt, Poeta *Laureatus;* Scriptum ejus *Libri II. de Otio Religioſorum*, qui extant in edit. *Opp. Baſil.* 1581. p. 294. f. Locus ipſe habetur L. I. p. 302. at quantum diverſus! Ita nos naſo ſuſpendunt Librarii.

II. *fol.* 179. praemiſſo *Hieronymi* loco e L. *de Viris illuſtribus*, qui eſt *Caput* LIII. *Incipit Apologeticum Tertulliani.* Ita quidem: *Si non licet vobis romani imperij antiſtites* &c. Textus cum edit. *Havercamp. Lugd. Batav.* 1718. paucis demtis minutiis conſpirat. Ita C. 1. habet: *et aperto et edito* pro *in aperto et edito;* dein: *ſi ad hanc ſolam* (cauſſam) pro *ſi ad hanc ſolam ſpeciem;* item: *iniquitatis et odii* pro *iniquitatis odii;* tum: *cum agnoſcitur* pro *cum cognoſcitur;* demum: *tamen hoc ipſo* pro *tamen hoc ipſo modo.* In calce adjecit Librarius:

Contigimus portum, quo mihi curſus erat.
Siſte gradum.

III. *fol.* 214. ſequitur *Fabularium*, ſeu Mythographia in Capita 173. tributa cum *Probemio* et *Prologo*, quorum illud incipit: *Fabulas poetę a fando nominauerunt. quia non ſunt res facte ſed tantummodo ficte. Quae ideo ſunt inducte, ut fictorum mutorum animalium inter ſe colloquio imago quędam uitę hominum noſceretur. Has primum inueniſſe traditur alcimon crotonienſis.* Unde hoc Noſter? Dividit dein Fabulam in *Hiſopicam*, (Aeſopicam?) ſeu Sermocinationem Animalium inter ſe, et *Lybiſticam*, ſeu Confabulationem eorum cum Homine; item in Fabulas aut delectandi cauſſa, aut ad explicandam Rerum naturam, aut ad Mores informandos fictas, hancque diviſionem illuſtrat exemplis e Mythologia, *Horatio, L. Judicum* et *Demoſthene* petitis. *Prologus*, qui agit de Ortu falſorum Numinum, eorum Nominibus et Stoicorum de uno Deo Sententia, incipit: *Hi quos pagani deos aſſerendo uenerantur: homines olim fuiſſe produntur* &c. Caput I. inſcriptum *Fabula Saturni* ita init: *Saturnus cęlii & polluris* (Pollucis) *filius, opis maritus deę, Senior uelato capite, falcem ferens pingitur* &c. *Fab. Planciad. Fulgentius* L. I. *Mythologici* ſui c. 2. ita orditur: *Saturnus Pollucis filius dicitur, Opis maritus, ſenior, velato capite, falcem gerens* &c. Vides igitur, Mythographum noſtrum uti *Fulgentio*, idque conferenti per totum patet. Ita c. 31. de Venere: *Concam marinam portare pingitur. quod huius generis animal toto corpore ſimul*